



Disputatio medica inauguralis de officio medici in partu difficili

<https://hdl.handle.net/1874/343322>

7.

A. & Q.
DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE

Officio Medici in Partu difficili.

QUAM
AUSPICE DEO OPT. MAX.
Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

M. GERARDI de VRIES,

Philosophiae Doctoris, ejusdemque Facultatis in Illustri
Academiâ Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academici Consensu, Nobilissimaque
Facultatis MEDICÆ Decreto,*

PROGRADU DOCTORATUS
Summisque in MEDICINA Honoribus, & Privilegiis, ritè
& legitimè consequendis,

*Publice defendendam suscipit
J OH. H ENR. S CHL A F F , Hamburgensis.
Ad diem 2. Maii, horis locoque solitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officiâ FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, clo Ic xcii.

D E O
TER OPT. MAX.
P A T R I Æ
PRÆCEPTORIBUS
F R A T R I B U S
A T Q U E
A M I C I S.

Hanc Disputationem Inauguralem

Humillimo pectore devovet ,

J. H. SCHLAFFE



Q. D. B. V.

Disquisitionis de Officio Medici in
Partu difficulti, Praefatio.



Vogravidis feliciter cederet Partus negotium, vota gentiles fecere varia, Diis variis, pro variorum periculorum averio-
ne. Primo siquidem invocabant MANEM corporis præfulem,
ne scilicet imbellis quis nasca-
tur, mox HECATÆ & GE-
NETYLLI, pro vigilancia & Audacia concilian-
da, & posthac POSTVERSÆ ac PROSÆ Dea-
bus litabatur, quibus Ara, deprecandi ab Ægra
partu constituta periculi, erat constructa. Ad ALE-
MONAM deinde, alendi in utero fatus, NO-
NAM & DECIMAM à sollicitioribus Mensi-
bus & PARTULAM, quæ partum gubernet, bra-
chia tendebant. Instante vero nixu LUCINAM
implorabant Patronam partuum, quæ alias etiam
EUGERIA audit, item MENAM, JUNONEM,
DIANAM, ac FLUONIAM, quod sanguinis fluo-
rem, tam in partu, quam gestationis tempore inhi-
bere

bere posse credebat. Videatur pluribus A. Gellii lib. 3. c. 16. & lib. 16. c. 16. Joh. Rosini de Antiquitatibus Romanis lib. 2. cap. 19. Tertulliani lib. de Anima. Et Thom. Bartholini Antiquitatum Veteris Puerperii Synopsis. In his Ethnici

— (Veri quos error adegit
Fictilibus divis, cœleste adscribere numen.)

imprimis Medicorum auxilio destituti, acquiescebant. Sed aliter longe nos hodie revelationis Lumine irradiati, procedimus, à DEO summo ac Vero equidem omnium primo, postmodum, si p. n. fuerit partus, à Medico & obstetricie auxilia quoque petentes. Et quidem ab obstetricie, ut operatione manuali, fætus vitia, in quantum possibile, corrigat, à Medico vero, si forsan in matre culpa lateat, ut medicamentis eam emendet. Igitur, cum omnino distinctissimi sint utrorumque labores, Veniae futurum locum spero, si hac vice tantum Medici officium, examinis incidi subjiciam, obstetricis munus, utpote passim à Medicis & Chirurgis tam recentioribus, quam Antiquis descriptum, penitus omittens; cui conatui, ut ex alto benedicat summum Numen, ardentissimis efflagito precibus.



DIS.

D I S P U T A T I O M E D I C A

I N A U G U R A L I S,

D E

Officio Medici in Partu difficili.

T H E S I S I.



Ub durissima fatorum lege foemellas natas esse, non inique quis dixerit; pereunt namque s^epe, nisi pariunt, adhuc vero s^epius pariendo pereunt. Scilicet ab illo statim momento, quo prima parens Eva, per interdicti fructus morsum, Satanæ insidiis nocens facta est, subdidit non solum se^le, & omne genus futurum morti, verum insuper, universis suis filiabus, dolores partus, accersivit inevitables. Sed ferrent miseræ libenter hos ordinarios, ut ut satis importunos partus satellites, nisi crudelium carnificum turma, quandoque in partu vitioso, superveniret.

§. II. Quatuor hujus vitiati partus species, recenset Hieronymus Mercurialis, de morbo mulierum (1) Si erretur in tempore, ac citius debito, antequam perfectionis & maturitatis punctum attigerit, extra uterum turbeatur Embryo, in Abortu. (2) Si erretur in figura, dum foetus nunc pedibus aut manibus, aliisque partibus insuetis, exitum inepit querens, nunc monstrostate capi:is, aut alius partis, vel morbo, aut morte impeditus, sum & officium ad partum felicem necessarium, non obseruat. (3) Si plane non, aut tardius, cumque maxima, ac vehementissimis cruciabibus, vitaque discrimine, matris culpa, contingat, & (4) si post foetus exclusionem, non statim sequatur secundina, sed in:us adhuc aliquandiu reineatur.

A 3

§. III. Non
elangui

6 DISPUTATIO MEDICA

§. III. Non animus est, de singulis in præsentiarum differere, qui tertiam tantum speciem, Disputationis hujus argumentum esse volui. Accidit autem in illa, ut justâ partus horâ, irrito plane nixu, nobile hoc ventris onus, excludere laborent prægnantes, non sine doloribus exquisitissimis, vires quandoque vitamque infeliciter depascentibus. Primum igitur symptoma, hunc difficultem, à naturali partu distinguenter, atrox iste & horrendus est dolor, tantus sane, ut maximas tribulationes & anxietates, S. Scriptura passim sub hoc schemate depingat. *Vid. loca apud Psalmist.*
Psalm. XLVIII. v. 7. Esaiam cap. XLII. vers. 8. cap. XXI. vers. 3.
cap. XLII. vers. 14. Jeremiam cap. IV. vers. 31. cap. VI. vers. 24.
Hoseam cap. XIII. vers. 13. Alterum est irritus parturiendi conatus, ad horas non solum, sed dies & septimanâs quandoque protractus, qualia exempla illi, qui ex professo obstetricandi artem descripserunt, frequenti numero suggerunt.

§. IV. Sed ne incautus decipiatur Medicus, monendum venit, non omnem abdominis exquisitum dolorem, indicare statim *susciciv* in gravidis, vexantur enim aliquando lumborum ac coccendicum dolore, Nephritide, Colica aut alia dolorifica passione satis quoque atrociter. Proinde attendendum probè est, num partui vicinis ipsi accident, numve veri partus sint dolores nec ne. Primum colligi potest, ex naturali gestationis spatio emenso, hoc est, quando à conceptu novem solarium mensium tempus præterlapsum est, quod prudentes & expertæ mulieres accuratè determinabunt. Notanter dixi prudentes & expertas terminum illum accuratè noscere; aliis enim utut satis loquacibus, vix unquam tuto fides est adhibenda, quem siquidem calculum ad mensium suppressionem, motumque infantis in utero ponunt, semper falsax & dubius est, cum menstrua non infreueenter extra hanc causam sistantur, foetusque intra uterum, nunc ante nunc post medium gestationis tempus, se mouere incipiat, imo sæpius loco foetus, in abdomen ac utero conclusi flatus ac serositates, nimium credulas deludant. His quoque addi potest Hydrops Ovariorum & tubarum, de qua videantur notabiles historiæ in Adenographia clarissimi Nuckii nuperrime edita p. m. 84. item mola, de quarum natura & origine clarissimus Ruyschius curiosam observationem exhibet in centur. observ. Anatomico-chirurgicar. Obs. 58. p. m. 74. Ut singulis

I N A U G U R A L I S. 7

singulis hisce de causis, earumque diagnosi, nondum satis laudatus Bohnius Lipsiensium Professor Primarius Celeberrimus Præceptor ac Patronus omni observantia colendus, egregiè egit in Collegio Privato, de Mulierum affectibus. Igitur in his, internum uteri orificio digito obstetricis contrectatum, certiora, instantis partus, suppeditabit testimonia, ipsum demissum scil. paululum ad pudoris muliebris introitum, simulque hians quodammodo certo expectatum parturiendi terminum indicabit, sicut contra-rius ejus status, errorem.

§. V. Quoad alterum punctum, constabit illud (1.) Ex sede doloris, epigastricam regionem, latera imprimis ac dorsum occupantis, adeoque a doloribus nephriticis & colicis, facile distinguitur, qui in regione lumbari, & abdominis ambitu, sedem habent suam. (2.) Ex doloris formalitate, seu natura, compressiva ad inferiora, cum aliquali uteri ardore ac intumescentia tendente. Omnia tamen certissime cognoscitur, si serositates, disruptarum foetus involventium membranarum, proximeque instantis partus infallibilis prodromi, simul, plus minus copiose, è genitalibus stillent.

§. VI. Hisce ergo probè perpensis, certoque cognitis, veris quidem sed irritis, sive clarius loquendo, difficii partus labore, tentari puerperam, de officio erit Medici, in causas hujus mali studiose ac prudenter inquirere, cumque instituti nostri tantum sit, culpam hujus difficultatis, in sola puerpera querere, (reliquas enim causas ex parte foetus & Obstetricis accedentes, consulto, siccō, ut ajunt pede, transfilio) melioris doctrinæ gratia, placet primo preter naturam constitutas partes illas, quæ nixum promovent, & postmodum quæ foetum transmittunt examinare.

§. VII. Cumque omnis animalis motus in corporea nostra ma-china conspicuus, à spiritibus in fibras motrices influentibus, de-pendeat semper, non est ut alium apparatus pro hoc conatu quæramus quam ordinarium, musculos puta à partibus impetum facientibus actuatas ac inflatas. Igitur ante omnia ad has principales partes, est attendendum, quomodo causam morbi constituent. Fiunt verò immemores officii sui, nunc quando propter morbum aut animi pathemata graviora turbantur & avocantur. Res ad ocu-lum patet interrore quovis incusso, ubi ex fuga spirituum facies pallet

8 DISPUTATIO MEDICA

pallet, artus contremiscunt ac rigent, verbo : universa motus organa languent desubito, mirum itaque non est, si haud difficilis effectus a tali animi in grida, ac vehementi commotione, in organis nixui inservientibus etiam excitetur. Vid. Vidus Vidius lib. II. de cur. gener. cap. 6.

§. VIII. Non alia est ratio timoris ac metus, ubi puerperæ pusillanimes, Deo viribusque suis dissidentes, tristem ac infustum nunquam non sibi pollicentur partus exitum. Vix enim exprimi satis potest, quantum tunc labor iste necessarius impediatur, quamque infelix *natura* sequatur. Siquidem spiritus tristi hac & meticulosa idea characterisati, neutiquam aggreduntur animosè negotium hoc, sed levi dolore ac molestia affecti, desistunt in momento rursus ab opere inchoato.

§. IX. Sed quemadmodum in his casibus solius impressionis phantasticæ culpâ, robur detrahitur organis, ita alio tempore, ab inclemencia aëris frigida impeditur illud, quatenus ex fibris motricibus, vitale nostrum principium, si non totaliter, maximam tamen partem, exturbatur, adeoque musculos rigidos, & ad omnem motum penitus ineptos efficit, quale quid unusquisque in se ipso hyemali tempore facile experitur, conferatur de hac causa Forestus lib. 28. Aff. 74.

§. X. Pertinet huc etiam languor universi corporis, a morbo nunc prægresso, nunc adhuc præsente dependens. De febribus id dudum observavit Hippocrates sect. v. aph. 55. *Quaecunque utero gerentes febribus detineantur, & vehementer extenuantur cura manifestam causam, & difficulter, & cum periculo pariunt, aut in abortionis periculum incident.* Apud alios Practicos simile quid de inedia, aut evacuatione larga præcedente, item de aliis morbis, commemoratur; non enim possibile est, diutius perferat istum violentum conatum, quæ enervata jamjam, à morborum conflictu est. Neque ex alio fundamento nocet somnolentia nimia vel veneris immoderatus usus tempore gestationis admissus, quas causas Salmuth cap. 2. obst. 69. & Hippocrates libro de superfetatione adducunt, nisi quod activas illas, motum alias excitantes particulas, in corpore vel ligent, vel consumant.

§. XI. Non erravero, si ad hanc Classem etiam referam dolorosas affectiones & Plethoram. In prioribus namque morbis v. g. in
collaq

in Colica passione, aut nothis partus doloribus, diutius puerperam excruciantibus, enormiter destruuntur spiritus, & hinc ordinarie post morbos hos consopitos, querelæ ægrotarum de languore insolito audiuntur. In altero autem affectu, præter naturam abundans sanguinis copia, circulationis sanguinis impeditæ, & hinc dependentium functionum, adeoque etiam pneumatoeos læsionis, existit causa.

§. XII. Sic spiritus symbolum suum contribuunt; sed habent quoque organa motui huic inservientia eaque tam proximiora, quam remota ali quid culpæ. Sub proximioris organi titulo, loquor uterum, utope ratione suæ substantiæ fibroæ admodum ad illud negotium concurrentem. Tripliciter autem ipsius motum læsum incusare cogor (1) si plane defuerit, (2) si non sufficerit, (3) si præternaturalis, & irregularis extiterit. Statim siquidem ac fœtus instantे partu se se circumvolitat, caputque declinans pudentio offert, pedibus ad uteri fundum extensis, dilacerat membranas, illum involventes, calcitrandoque ulterius, molestiam infert utero, sicque facit ut irritatis ipsius fibris constrictoriis, hostes ille importunus tantarum turbarum autor, in lucem protrudatur. Quod si ergo vis illa uteri constrictoria, quæ communis stylo nomine dolorum partus venit, neutiquam excitetur, nec fœtus solus, quicquid etiam ausus fuerit ipse, propriis viribus egredi poterit.

§. XIII. Simile periculum imminet fœtui ex insufficienti contractione uteri, movet equidem, sed non promovet ipsum, interea tamen insigniter præprimis paululum protracta, vires puerperarum consumit, hincque frequentissimè perit ante diem pusio, & quæ vitam dederat matrix, ejus in capsulam feralem commutatur. Cogitur enim fœtus, capite prono exitum querens, intra vaginæ angustias, & nisi continuatus impetus uteri ulterius ipsum protrudat subito, nimium compressum caput certissimè mortem producit

§. XIV. Non cedit binis his circa uteri motum occurrentibus vitiis, tertium, nempe præternaturalis & irregularis contractivus uteri motus, quando non à fundo iste incipit, & versus orificium tendit, sed modo ab inferioribus ad superiora, modo ad crura fertur. Fabulam equidem redolet, quod aliqui Practici cum

Dayide Herlicio, de curis Gravidarum & puerpararum narrant, dum ascensum, dolorum horum & egressum extra os, statuant superstruitur siquidem inepta opinioni priscorum de motu ejusmodi tumultuario ac vagabundo uteri ad stomachum, Diaphragma, pulmones, asperam arteriam &c. nihilominus modo prudenter interpretetur iste ascensus & descensus, nihil plane absurdi alit; cum enim per nervos cohærent superiores ac inferiores partes, facile ex consensu in remotis locis dolores, convulsiones & spasmi excitabuntur, quiete interim intempestivè utero.

§. XVI. Hactenus uteri vitia. Quandoquidem autem Diaphragmatis musculorumque Abdominis constrictorius impetus insigniter quoque partus negotium promovet, (Omnis enim nixus & conatus ab expirationis sufflaminatione violenta proveniens, egeste uteri contractioni succurrit, ita ut quæ sola ante hac insufficiens erat, nunc impetu longe violentiori, cunctis simul abdominis visceribus versus inferiora protrusis, irruat in foetum) idcirco aliquando etiam in his, morbi causam reperire licebit. Confirmant hoc Gibbosæ, Phthisi & Pleuritide laborantes, quibus ob denegatam sufficientem expansionem pulmonum, nunquam non partus redditur difficilis. Confirmant etiam nimium molles ac delicatae parturientes, quæ præ insigni sensibilitate, sæpius etiam immorigerositate incomposite corporis motu & suspiriis ac ejulatu excitato, egregiis ac optimis uteri convulsionibus, resistunt. Debet namque mulier tota esse intenta huic actioni, de qua Aristoteles 7. de generat. Animal. cap. 2. dicit, *quod vel sola oscitatio noceat partui.*

§. XVII. Sed hærent præterea motus harum partium impedimenta, etiam in abdomen, & quidem nunc in interioribus, nunc exterioribus locis. In interioribus, obstat jam ventriculi nimia repletio, qua occasione, pessima quarundam mulierularum consuetudo, reprehendenda est, quæ alimenta copiosa, quo viribus, usque adeo ad nixum necessariis succurrant, brevi ante istum laborem, assumunt, tantum enim abest voti reddantur compotes, ut potius difficultatem, infarctu illo ventris, gignant manifestissimam. Obstant etiam Scyrrhi Lienis, Hepatis, & Mesenterii, item ferositates præter naturam collectæ in cayo abdominis, istæ enim sicuti

sicuti distendunt stupendam in molem ventrem, ita omnem abdominis compressionem impediunt.

§. XVIII. In exterioribus partibus, omne, quod motum muscularum abdominis transversalium & rectorum inhibet, incundum est. Fortiter namque isti, dum suo præsunt munio seque contrahunt, viscera abdominis cogunt ad uteri fundum, siveque egregie juvant ejus actionem ad partum necessariam. Inhibet autem hunc motum, omnis generis tumor, organa hæc motoria occupans, imo & peritonæi, a pedis contusione oriundum abscessum, parturiendi insignem difficultatem generasse, refert Louys Bourgois lib. obstetr. Quod facile admiserim, ob summam aritudinem inter dictos musculos, & hanc membranam intercedentem. Sed non solum abscessus peritonæi nocet, a dilaceratione aut relaxatione ejus, imminent quoque partus infastus, quod Herniæ evincunt, tunc enim omnis nixus ad mortem etiam usque continuatus, irritus planè deprehenditur. Exemplum suggerit Schenck. in obs. suis. Ubi Omphalocele laborans puerpera, inter enitendum sursum ad Herniæ cavitatem detruudebat fœtum, qui postmodum non nisi singularissima industria, iterum in locum naturalem reduci, & ad partum disponi poterat.

§. XIX. Sed missis vitiis partium ad nixum concurrentium, progreder ad transmittentes fœtum, & quidem ad partium genitalium pravam constitutionem, quæ in omnibus ac singulis ejus partibus accedit, occurrit siquidem talis, modo in orificio uteri ipso, quod scyrrho, aut alia insueta durius obcessum, ultimis duabus gestationis septimanis, prout secundum naturam debebat, nec descendit, multo minus dilatatur. Deinde fistula etiam ipsa se potest, invagina uterina, ex iisdem modo de orificio recensitis causis; insuper tamen prolapsus ejus & tumor, tam in flammatorius, quam ex colluvie serosa proveniens, exitum molienti fœtui, obicem firmissimam ponit. Sed magis adhuc impedit, uteri vitiata conformatio, laborem istum; quando nimurum antrum Venereum, statim à nativitate, membranacea aut carnosa aut alia substantia in Atretis est clausum, aut si post partum difficilem, aut aliam violentam dilacerationem in eptamque subsequentem consolidationem, præpostere coita fuerit patula alias via. Conseratur Mercatus de mulierum affectibus lib. III, cap. 3. Hildan. Obs.

12 DISPUTATIO MEDICA

tentur. 3. Obs. 60. 61. cent. 6. Obs. 67. Schenck. Sennert. in institut. Medic. item Clartissimi Frederici Ruyschii Obser. 22. in centuria Observationum suarum Anatomico-chirurgicarum p. m. 27. Est & alia arctitudo, cunctis primiparis, immaturaque ætatis solennis (quam Hippocrate teste lib. de natura puerorum, inter causas nostri morbi non infimas, recensere debemus) ast levis hæc ipsa est, & modo parum tenaces, propositi animi conatus accesserint, vinci promptissime potest. Restat tandem labiorum, quæ genitalibus adstant, Sphincterisque ani, intumescientia, ac inflammatio, ex violentiori compressione, & operatione manuali obstetricis, aut a nixu violento excitata. In quantum vero hæcce obstare conatibus valeant, etiam ex virili ordine norunt, qui hemorrhoidibus tumentibus, aridas exclaudere feces, aut duriores contrectationes sensatarum, inflammationeque correptarum partium, perferre coguntur.

§. XX. Ut ut verò nulla in his omnibus partibus notetur anomalia, coguntur tamen, imprimis provectionis ætatis mulieres, ob induratum nimis ossam concamerationem, pelvis nomine notam, pericula subire gravia, sæpiusque funesta. Neutiquam enim flecti se patitur os coccygis, quod tamen imprimis cedere debet versus exteriora; neque reliqua os, quæ innominata vocantur, & imprimis ex ipsis os pubis, secedit debito modo utrumque tamen, ad viam illam alias satis angustam quodammodo ampliandam, utique pernecessarium videbatur. Evidem, à non paucis hujus ævi Medicis negari illam ossis pubis dehiscentiam, ab antiquitate frequenter allegatam, memini; novi etiam rationes oppido prægnantes, quas pronegativa adstruunt, nihilominus conexio hujus ossis per Synchondrosis, possibilitatem & Pærei Lib. de generatione, Bauhini lib. i. theatr. Anatom. & Excell. Ruyschii obs. 43. p. 57. aliorumque gravissimorum autorum observationes, veritatem evincunt.

§. XXI. Alio tempore obstacula alia adsunt, quæ modo ab antica, modo postica uteri parte, apparent. Ab antica parte, vesica urinaria calculis infarcta, impedimento est, qualia exempla Hildanus & Tulpius allegant; à parte postica autem, intestinum rectum, flatibus vel fecibus aridis infarctum vel tumentibus occupatum obstat, vid. Christiani Langii Misc. pos. 32. p. 100. Item quando-

quando fœtus male locatus est, ita ut caput ejus os pubis premat, aut alium situm pravum observet aut monstrosus fuerit. Prætermittit vero, harum causarum tractationem consulto quoniam istæ ad Chirurgum & obstetricem spectant.

§. XXII. Denique etiam egressum fœtus felicem impedit, debita lubricitas viarum deficiens. Scilicet, cum in naturali statu, à sero secreto, & imprimis ab humoris Amnii stillicidio, adeo laxæ, molles, ac leves siant ordinariè illæ partes, ut obsteticum ac Chirurgorum digitos, imo manum totam, facile admittant, accidit è contrario, ut quæ calidioris & siccioris sunt temperamenti, vel stylo recentiorum, serositatum defectu à morbo quodam prægresso, vel propter ætatem adultiorem, laborant, aut quæ intempestivè disruptis involucris, axungiam illam necessariam, inutiliter profuderunt, hæcere, diutius quam par est, uteri nobile pondus.

§. XXIII. Tot ergo à causis, vitiatur nostri examini destinatus Partus, quas cognovisse singulas, multum inservit præsidia adhibituro. Manifesta autem per se sunt ex hisce, quæ ab aëris vizio, animi pathematis, Pleuritide, Hydrope, ætatis vitio, doloribus partus peccantibus, gibbositate, gracilitate, obesitate, &c. proveniunt, modo præsens fuerit Medicus, studioseque ad singula attendat. Quæ verò v. gr. ab Herniis, abscessibus Peritonæi ac musculorum abdominis, scyrro, tumore, inflammacione, prolapsuque uteri, item quæ ex vitiata conformatione uteri, quæ à calculo vesicæ, alvi suppressione, hæmorrhoidumque intumescentia, nascuntur, vix, nisi ex confessione ingenua, aut illa silente, ex symptomatibus conjunctis, hauriuntur.

§. XXIV. Facillima autem, cognita causa morbi, erit Prognosis de ipso. In genere siquidem notetur omnem partum difficultem, esse periculosum, propter periculum vitæ, quod fœtui, ex compressione adeo violenta, & puerperæ, ex virium consumptione, ob diutius protractum istum laborem imminet. Attamen, quo diutius negatur exclusio, eo majus periculum imminet semper. Bono tamen adhuc animo esse jubet, & pueroram & Medium, *suspirare* ex nothis partus doloribus, secum collectione, aëris inclemencia externa, hæmorrhoidumque tumore exsurgens, secus sperandum de Hydrope, Scyrro uteri, Herniis, Phthisi,

14 DISPUTATIO MEDICA

Pleuritide, febre ardente, &c. utpote quæ remediis vel plane non, vel admodum difficulter, concedunt locum.

§. XXV. Sed nunc ad Therapiam hujus affectus pergendum est. Proinde, ubi deficiunt vires, sive ex terrore, metu, tristitia, aut etiam propter alios morbos prægressos, commendari possunt **Analeptica** & **roborantia spirituosa**, vinum scil. generosum, malvaticum, aut aliud, balsamus embryonum, aq. vitæ Mathioli, aq. cinamomi, bugloss. cum vino. aq. apoplect. spir. lil. convall. rosar. meliss. &c. cum cautione tamen hæc dentur, quod si enim inassuetis, copiam ipsorum propinaveris, parum abest, quin inebrientur, locoque desiderati vigoris, debilitas ac somnolentia infelix superveniat. Deinde etiam, ex inconsiderata hac exhibitione, in scorbuticis subjectis, facile æstus excitatur præternaturalis, & massa sanguinea, in motum rapitur enormem, etiam post partum, per uteri hæmorrhagias, damnum non leve adserentem. Commendantur etiam pro hoc **Analeptico** scopo, ambrata medicamenta, à **Zacut. Lusit.**, **Prax. Hist. lib. 3. cap. 17.**, verum cum pauci foeminarum, suaveolentiam ejus ferant, sed statim ex ipsius odore, uterinas commotiones, syncopen aliaque dira symptomata, experiantur, non facile admiserim, ut quicquam de illis exhibeat, nisi certa experientia jamjam constet, nullum ex in damnum esse metuendum, in his vel illis in specie subjectis.

§. XXVI. Meticulosas & timidulas, erigunt etiam adhortiones & persuasiones, utpote, quarum vi, animus prostratus, saepius insigniter impellitur, ita ut gelidis ac trementibus artubus expectantes sortem malam, solis his suavibus ac potentibus alloquiis adactæ, spe animosa in Deo recumbere, ejusque in auxiliis fiduciam certam locare saepius incipient. Oscula etiam dulcia, à mari-to impressa, amplexusque molles, magnarum quoque pro hac intentione, creduntur virium. Quod si tamen, his solis, pectora tremebunda, mulceri non possunt, ad herbas & lapides, utpote quibus **Helmontio** teste, magna quoque inest virtus, confugere cogimur. Quod lapides concernit, loquor. Etitem, de quo narratur, quod interna femoris parte, non procul à pube admotus, levem placitumque partum, certò efficiat. Hinc teste **Colero Oeconom.** in Curiis quorundam locorum (nominat vero in specie, Francosurtum ad Oderam) assertari. Etitem, quem tempore necessita.

cessitatis, parturientibus commident; alia exempla eaque infinita à Doctis æque ac vulgo prolata, consulto prætermitto, cum ea à Bauschio in tractatu integro, de Ætate conscripto, jamjam congesta sciam. Operandi autem rationem, neutiquam cum Crollio designaturis, Quercetano, Mylio, aliisque ex signatura, aut cum Lemnio, de occultis naturæ miraculis lib. IV. cap. 12. ex singulari attractiva facultate, sed tantum ex phantastico quodam agendi modo, quatenus scilicet animo, tot tantisque experimentis & pollicitationibus erecto, robur infigne accedit.

§. XVII. Inter herbas, allegare placet, primo Hierichunticam rosam, de qua communissime referunt, ipsam vino immissam, utut aridissimam, rursum explicare ramulos suos, simulque dimittere de se, in vinum dictum, virtutem insignem, adversus difficultatem partus. Conferantur, quæ de hac rosa, literarum monumentis confignarunt, Excellent. Ammannus b. m. in Charaktere suo Plantarum naturali p. m. 383. Cornutus, & Bellonius item Sturmius, qui integrum tractatum, de ipsa conscripsit. Deinde, huc quoque refero, Momordica fructum, quem matrum, in manu pueræræ paululum detentum, rumpi, seminaque contenta ejicere, eodemque momento eundem effectum in pueræræ etiam producere, mulierculæ quædam, firmiter sibi persuasum habent. Non negabo, experimenti utriusque priorem partem, expansionem puta brachiorum, rosa Hierichunticæ, æque ac dehiscentiam, pomi Momordicæ, si manu detineantur, nihilominus, nulla alia, operationis felicis, est ratio, quam ut egregiis encomiis fidentes pueræræ, timorem metumque, quæ antehac impedimento erant, solvant pellantque.

§. XXVIII. Non erravero, si huic Catalogo, etiam inferam illud Hartmanni experimentum, quod pag. 299. Prax. Chymiatricæ adducit, de oculo leporis, in martio mense capti, hoc ipsum siquidem, cum pipere, in orbe exsiccatum, supraque verticem, ut pupilla ipsum tangat, ligatum, tantarum existimat virium, ut foetus, seu mortuum, seu vivum, certò educat, & quidem tam potenter, ut nisi mox à parti, tursum removeatur, ipse uterus, brevi quoque propellatur. Neque enim frustum cutis Tigridis, femori sinistro alligatum, teste Dolæo, educens foetum, alio operabitur modo, nisi imaginationis, quæ quantum valeat in prægnanti-

16 DISPUTATIO MEDICA

gnantibus, tractatu eleganti deduxit, Thomas Fienus de viribus imaginationis.

§. XXIX. Quod si partus difficilis, ex aëris inclemencia frigida, incautius corpori admissa, proveniat, adversus ipsam vix convenientius excogitabitur remedium, calore externo, à lignis accensis; aut stragulis corpori appositis, vel lateribus calefactis, excitato, utpote quo revocatur ad exteriora spiritus, antea frigoris austoritate ejectus ac fugatus.

§. XXX. Quæ vero parturientes, morbis vexantur, nixusque obstacula, ab ipsis actu adhuc præsentibus, sentiunt, non alia, nisi illis inspecie apposita medicamenta, reperient salutaria. Ex inedia hinc, aut evacuatione nimia languidis, inservient juscula restaurantia, ovorum recentiorum vitelli, cum vino cretico sorpti, chocolada, aliaque eupepta & nutritiva. In febribus confugiendum est ad antipyreta usitata, imo & Venæ sectio non negligenda erit hoc in casu, immediate ante partum celebrata, speciatim, si plethorica extiterit subiecta, imo in sola sanguinis abundantia, extra aliud morbum, adornanda est, omni tempore phlebotomia, conferantur Borellus & Claudio de la Courvè, ex recentioribus, & ex priscis Hipp. Lib. 1. de morbis mulierum.

§. XXXI. Quandocunque intempestivam somnolentiam, impedimento esse, animadvertisimus, excitantia, præsidii loco inservient diversa, pro causarum, torporem istum producentium, discrepantia, quemadmodum, ex Practicorum codicibus ea facile haberi possunt. Minimè tamen ipsis opus erit, in somnolentia, non adeo morbosa, sed magis naturali, ex de lassatione scilicet nimioque partus labore ortum trahente, potius ergo concedi & promoveri debet quies, quo vires colligantur novæ. Neque metuendum est, opportunitatis momenta interea prætermitti, omnis enim somnus discutitur statim, ac veri partus conatus accedunt.

§. XXXII. Hactenus facile obtinere potuit Medicus remedia, causis accommodata, sed majori studio erit opus, ubi conatus, vel plane deficientes, vel nimium debiles, viderit; nisi enim promptus ac felix in ipsorum exhibitione fuerit, & fœtæ & fœtus res, tenui satis filo, pendet. Propinabit ergo tunc Medicus pueræ, præter Analeptica supra enarrata, stimulantia, motusque hujus organa irritantia, uti sunt cinamonum, cassia lignea, antho-

thophylli, dictamnus, myrrha, sabinæ folia &c. eaque nunc sub forma pulveris cum aq. lib. alb. puleg. artemis. matricar. &c. aut cum Vino Generoso vel aq. spirituosa v. g. Balsamo Embryonis, nunc sub forma Olei destill. aut *Epsn*, quod ultimum olim arrisit Dn. D. Michaëli, quondam Practico & Professori apud Lipsienses celeberrimo, quitalem ad partum difficultem, ex aromatibus supra recensitis secundinaque humana, admodum convenienter, composuit.

§. XXXIII. Quid salia ad hanc intentionem conferant, notissimum est, quem enim nisi hospitem in praxi latet, Boracis Venetæ usum adeo esse proficuum in partu difficulti, ut reliquis remediis omnibus, dubiam videatur reddere palmam. Conferantur modo quæ Zacut. Lusitan. & Horatius Augerius de hoc Medicamento adducunt. Est hoc ipsum sal., quoque quod D. Christiani Langii, Professoris antehac famigeratissimi, Lucinæ (sic pulverem adversus *Sugorevav* expertissimum salutat, in suis Miscellaneis curiosis Medicis §. 32. p. m. 79.) basin constituit, prout id ex ipsius manuscriptorum hærede, nunquam sine honoris præfamine mihi nominando Excellentissimo D. D. Langio, Præceptore meo fidelissimo, didici. Quod si tamen quis, in ejus defectu substituerit, sal. ammon. crudum, vel flores exin sublimatos, aut spir. sal. ammon. nunc simplicem, nunc caryophyllum, succinatum, aui lavendulatum, habebit etiam in his, quæ ejus desiderio, abunde satisfacere, valeant.

§. XXXIV. Specificam vim, adscribunt secundinæ humanæ exsiccatae (cujus præparandi modum, Hartmannus in sua Praxi, Chymiatrica suggestit) aut spiritui ex ipsa putrefacta, elicito, certissimum tamen est, nullam penitus prærogativam præ modo laudatis salibus volatilibus, aut sal. vol. C. C., viperarum, vel Tinct. Bezoardica (quam Excellentissimus D. D. Wedelius frequenter adhibere solet) illi competere.

§. XXXV. Mægna etiam verborum pompa, de prædicat Helmontius in tract: Astra non inclinant §. 49. & ex ipso Panoroll: Zwelfer: du Hamel, Boyleus in phil. experim., Hepar Anguillæ, cum bile exsiccatum, à 36. ad 3j. cum Vehiculo convenienti exhibitum, quam vero operandi rationem in Duumviratu §. 47. suggerit Helmont: scilicet, cum mulier jam parere debuerit in dolo-

re, propter serpentis invidiam, Deum, cuius spiritus aquilis incubabat, eas benedictione replevisse, ut anguillæ, sive aquæ serpentis viscera, acquisiverint symptomatibus opitulantia, vix tanto Philosopho digna est; mirandum enim, quamobrem solum Epar & quidem cum felle exsiccatum, non reliqua etiam viscera, facultatem hanc possideant. Quicquid igitur hoc medicamentum præstat, id omne bilioſo liquori inspissato, particulisque stimulantibus intus conclusis, in acceptis ferendum est. Hinc novi, à quodam Medico egregio, bilem animalium quorumcunque inspissatam, deficiente partus conatu, ex voto porrigi.

§ XXXVI. Resert Claudinus Cons. 107. maxime quoque conferre succum, è canceris vivis cum aceto aut vino contusis, elicatum; non tamen aliunde, nisi ex vi salina & diuretica operari istum puto, qui omnia diuretica, adeoque etiam Tinctur milii solis, aut emulsionem ejus, vel ſem. violarum, ex Clar. Langii Miscel l.c. & Excell. Wedelii Amcenitat. materiæ Med. p. 391., conferre novi. Et hinc quoque deduco unicè effectum prosperum, quem ex talo leporino aut cervino, nucleisque dactylorum & ex aqua, in qua ova gallinacea aliquamdiu ebullierunt, exhibita, obstetricum vulgus expectat.

§. XXXVII. Contentus his stimulantibus erit Practicus junior, nec opus habebit, mariti urinam, aut stercus equinum in vino expressum, epotandum exhibere puerperis, cum Hartm: indignissima siquidem sunt, ut suadeantur. Horreo proſecto, & penè ventriculi eversionem experior, dum saltim cogito excrementa hæc quæ, vel solo nomine, nauseam & vomitum, movere valent, miseriſ obrudi fœminis, quid sperandum erit, de haurientibus ista. Dicis: non malè, licet vomitus sequatur. Respondeo, non ſolum de officio eſt Medici, cito & tuto, ſed etiam jucunde curare, adeoque vomitorium ſi desideras, non deerunt alia minus nauseosa; de quibus mox fuſius.

§. XXXVIII. Scilicet vomitoria quoque, ſi nullis hactenus recenſitis stimulantibus, parturiendi conatus excitari poſſunt, infuſidum ſunt vocanda, quorum copiam ſatis amplam, Pharmacopœorum tabernæ, ex Antimonio parata, ſuppeditabunt. Commendantur iſta maximopere, ab Angelo Sala in triumpho Emetico, & ſpeciem ex illis laudatur Mercurius vitæ, cui etiam ſymbolum ſuum

suum adjicit Ant: Gunther: Billichius Obs. & Paradox: Chym: lib. 2. cap. 14.; ubi egregie extollens hoc vomitorium, etiam felicissimè obstetricare ipsum mulierculis pericolosissimè parturientibus, testatur. Neutiquam vero cedit Tartar: Emeticus, syrupus, aut sapa vomitoria, vel etiam vitriolum vomitorium ritè partum, cuncta siquidem, tantum agunt, quatenus fortis sua vellecione, non tam ventriculum, quam musculos abdominis, & diaphragma, convellunt, quod in canibus vivis dissectis, D. Chirac, contra doctrinam communem, ac si motus peristalticus ventriculi, solummodo promoveretur à vomitoriis, in Miscel. Acad. Natur. Curios. Decad. IV. obs. 125. p. 247. certissimè defendit. Quid vero harum partium contractivus motus, ad felicem partum contribuat, supra indigitatum est.

§. XXXIX. Evidem deterrere posset in exercitatum practicum, ab ipsorum usu, post exclusionem fœtus, continuatus ejusmodi convulsivus motus, hæmorrhagia uteri, aliaque funesta symptoma, ex in facile oriunda. Verum modo (1) non aberretur in Dosi horum Medicamentorum (2) statim post partum offerantur aculeos ipsorum inviscantia, cum anodynis convenientibus conjuncta remedia, nullus plane tristis eventus, ex in erit metuendus, sed purgamentis illis, evacuationi alias destinatis, viamagis, parabitur. Quod si tamen nec tunc tibi satis tuta videantur omnia, poteris loco vomitoriorum, suadente magno Hippocrate Aph. 49. Sect. v. sternutoria expulv. sol. Helleb. nigri, nicot., sem. nigell., synap. piper. alb. flor. lil. convall. &c. inflare parturientium naribus, ita tamen, ut immisso eodem, os & nares studiose obdurentur, quo spiritus ad inferiora descendens, violentiorem præstare impetum & concussionem possit.

§. XL. Sed nondum his stimulantibus contentos esse Practicos, reperio, aliis etiam partibus illa applicarunt. Nicol. Pfizer tract. german. *Weiber nahrur* p. 598. aliisque passim, Nasclalia seu pessaria uterina, ex colocynthide, myrrha, helleb. nigr., gum. ammoniac. rad. arist. rotund. & selle taurino parata, suadet, circa quorum tamen usum, id mihi videtur monendum, vix illa posse applicari, si fœtus ordinarium ad partum situm, observet, omnia enim tunc repleta sunt in meatu ferendo, adeoque nescio, quorsum reposueris tunc pessaria. Extra verò hunc situm, num convenire possint,

sint, vehementer dubito, irritabunt enim & arrodent, partes tene-
riores vaginali uterinæ, extra necessitatem & fructum ullum. Com-
mendaverim ergo potius, lotiones ventris, cum decocto colocynth.
vel inunctiones, umbilici, & inguinis cum oleis destillatis, succin.
ruthæ, sabin. aut trifolii fibrini, de quo legi meretur observatio
Joh. Jacobi Willii, apud Bonetum, in Med. septentrionali lib. iv.
Sect. 7. Obs. 8. hæc enim musculis abdominalis stimulum addere
sine damno valent.

§. XLI. Possunt etiam in locum horum irritantium externorum, substitui, alio tempore, adstringentia, quod equidem intui-
tu primo, satis paradoxum videtur, nihilominus, si experien-
tiam velimus ut testem admittere, & rationibus locum dare, nihil
monstri atere effatum, constabit luculentissime. Quoad experientiam
siquidem, refert Hoeferus in Herc. Med. Empl. ex album ovi &
rubrica, ventri applicatum, miraculi ad instar, ejicere secundinas
retentas, foetumque mortuum. Posset hoc jure etiam referri,
partus felix, ex tuberibus cervinis, à Schrödero Pharm. Med.
Chym. lib. iv. Classe 11. p. m. 254. pro hoc scopo commendatis.
Utrumque siquidem remedium, propter hamosas musculis abdo-
minis immislas particulas, muscularum horum contractionem,
æque ac antea nominata stimulantia, promovere potest.

§. XLII. Et ne forsan dubium remaneat, à solis fibris carneis
constrictis, operationem istam dependere, fasciæ, ac cingula cir-
cumjecta ventri, idem præstare demonstrant. Nihil inter est, tive
mantile aut aliud quid circumjiciatur, modo musculis compressis,
eo ipso robur accesserit. Hinc superstitionem sapere magis, quam
singularem observationem existimo, quæ Thom. Barth. de cingulo
è corio humano facto cap. 3. Hist. 87. & in Anatom. reform. lib. 1.
cap. 2. p. 15. & Unzerus lib. de nephritide p. 141. narrant, nulla
siquidem penitus prærogativa, in his occurrit.

§. XLIII. Sed tempus est, ut mittamus curam deficientium
partus conatum, & ad irregulares seu spurious partus dolores, nos
convertamus, quos crudelis Lucina quandoque dat. Postulant
iidem Antepileptica, è quibus primas tenet, succinum album,
quod pulverisatum, Baricellus Hortulo Geniali, p. 219. & cum
ipso universus Practicorum Chorus, mirum quantum extollit.
Essent, ejus deprædicat Borellus & oleum destillatum Rulandus

The-

Thefauro curationum. Liquor vero C. C. succinatus Michaëlis, Ethmulleri, aliorumque Lipsiensium Practicorum observatione, Euporiston est Medicamentum. Non cedit succino Castoreum, cuius extractum & essentia, omne præconium superat. Conferatur Marii Castorologia. Ex vegetabilibus, Ruta & Chamomilla, se quoque commendant egregie; Verbo; quicquid motum illum convulsivum compescere valet, in tali casu est optima Medicina. Confirmat hoc, observatio supra citati Langii, tit. 32. Miscellaneorum, de specifico Cephalico, quod incantamenti ad instar, miserrimè parturienti profuit. Idem præstat ungula alcis, unicornu verum & dens Hippopotami, quo ultimo remedio, Practicum quendam famigerabilem magnorum nummorum copiam sibi acquisivisse, memini.

§. XLIV. Utut vero optima hæc sint recentita antepileptica, cum anodynis tamen maritata, insigniter roborant. Facile hinc fidem adhibeo observationibus, quas de croci efficacia, ex Joële, Henrico ab Heer, Prævotio, Dornerellio, Amatt. Lusitano, Francisco Moræo, Sennerto, Thymæo à Guldenklee, Felice Platero, collegit Heertodt in sua Crocologia. Possunt etiam, nimium urgente dolore, opiate in usum trahi, de quibus videantur quæ Clariss. Vedelius in sua Opiologia consignavit. Si tamen intus dare ultima metuas, sufficiet externus ejus usus, sub forma Emplastri, aut unguenti, cum aliis antepilepticis, adhibitus.

§. XLV. Progredior nunc ad reliquarum causarum medelam, & quidem ordine jubente, ad immorigeras nimiumque impatientes ferendis vel levissimis partus conatibus, me converto. Equidem fateor, hisce nullam crescere herbam in hortis, sed admonitionibus ac solatis blandis, demulcendam esse mentem asperam ac prostratam. Vult vulgus, ad hujus caue medicamina, colaphum à marito inobedienti puerperæ inflictum, etiam pertinere, ast non facile consenserim, propter subjectorum & circumstanziarum varietatem maximam. Quid si enim excandescens nimium parturiens, Epilepsia corriperetur, aut animam desubitò, præ nimia animi commotione, exhalaret? quale quid paucos ante annos, in quadam non incelebri civitate contigisse, à fide digno Medico, mihi relatum est; nonne tunc malum hoc consilium, puerperæ esset pessimum?

§. LXVI. Si à Ventriculo , multum alimentis infarto , dependeat culpa , vomitus , tam medicamentis excitatus , quam sponte succedens , remedii erit loco . A Herniis verò quæ evenit difficultas , postulat primo repositionem intestinorum , postmodumque subligacula convenientia , quæ duplice dein ex capite procedunt , quatenus nimirum reprimunt ac coercent Viscera , simulque succurrunt imbecillitati musculorum abdominis .

§. XLVII. Supersunt adhuc curanda partium vitia , quas transit nascendus fetus . Ergo , quando externa loca coalta sunt , aut membrana quadam clausa , chirurgicum scalpellum adseret auxilium , quod in duabus pueris se observasse & ministerio lithotomi corrigendum curasse , scribit Meibomius in jusjurandum Hipp . Cap . 15 . § . 41 . vide etiam quæ habeant de hac materia Henricus à Mcenichen in Obs . anat . Job . à Meekren in Obs . Chirurg . Ronhusius Hist . Chirurgic . lib . 2 . Solingen in Operationibus manualibus Clariss . Ruysschius in centuria Obsler . Anatomico-Chirurgicarum Obs . xxii . p . m . 27 . aliisque passim . Ast profundius si penetreret coartatio , & in Callum solidius corpus abicerit , difficultius , & quandoque plane non succedit cura , quale exemplum Felix Platerus lib . 1 . Obs . recenset . Manum ergo hic de tabula ; pertinet enim tunc operatio talis chirurgica ad illam classem , quæ cum exitio frequenti adornatur , prout loquitur Taliacotius lib . 1 . de curtorum Chirurgia cap . 20 .

§. XLVIII. Quæ à pudendorum inflammatione ac tumore , est angustia , illi medentur fatus & Epithemata , ex resolventibus & adstringentibus usitatis , cum vino vel aq . spir . facta , utpote à quibus stagnans massa sanguinea resolvitur non solum , sed rursum ad canales naturales , quoque propellitur . Quod si autem ex arctitudine horum locorum naturali , proveniat impedimentum , illud cum nixu continuato , in Deum sperans ægra , facile vincet , dilatatis nempe successive & extensis illis partibus .

§. XLIX. Utin vero majus periculum imminet puerperæ , ita apparatus major requiritur , quando propter nimiam indurationem & cohesionem ossium pubis ac Coccygis , nascitur periculum . Frequenter enim aliquot septimanarum spatio ante partum , regio ista tota , cum oleis , ac unguentis emollientibus , v . g . oleo cheiri , chamomillino , lil . albor . &c . debet inungi . Multæ

tæ nationes , gravidas tales , balneis aquæ dulcis , instante partu immittunt , ut membra prius mollescant , & relaxata , facilius diducantur . Verum cum ob insignem ventris molem , cupas ingredi commode nequeant omnes , illis fomentationes , cum Decocto Althææ , meliloti sem . foen . græc . ex *Sylvii Prae . lib . III . cap . 7* . Observatione , aut ut humiliori sedili locatis , sacculus herbis emollientibus aut semenibus , floribus & foenis &c. infarctus , & per ferventem aquam tractus , subjiciatur bis in die , subsequente semper partium illarum inunctione , suaderi potest . His quoque olei olivarum quantitas (quod oleum Borellus adeo proficuum observavit) ut frequenter ultimis gestationis diebus porrigitur , autor fuerim .

§. L. Conveniet quoque , hoc ipsum olivarum oleum , quando à secum collectione , & ariditate , imminet *dryas* , egregiè namque humectat , ac lubricam reddit viam , antehac siccissimam . Sumunt aliq caricas pingues , passulas minores , &c. utunturque ferculo , ex spinachia ac prunis , à quibus semper alvus lubrica tenetur . Huc pertinet etiam sequens experimentum , quod ex quodam Manuscripto Medico practico antiquo , excerpere mihi licuit , ad partum facilem reddendum . Sic vero ipsum verbetenus , sonat : Mulier seu puella de virginata , volens sine dolore & clausore parere , ne quis resciscat facile , sic procedat necesse est . Cum jam agitur quintus mensis à conceptione , seligat sibi uvas passas pingues & mundas ab omni sorde & pulvere (non tamen eas lavare debet) quarum singulo die , mane à somno expurgescens , M. j. teneat in ore , quamdiu potest , non dentibus masticans , sed mucilaginem illam , & dulcedinem illarum , quæ liquefecit in ore , exsugens , donec nihil mucilaginis , in passulis insit amplius , deinde expuat reliquias . Hactenus Man : S. Adjiciuntur his verbis probationis loco , experimenta aliquot felicissimi eventus , ita ut parentibus inadvertentibus , ut ut in eodem cubiculo dormirent , filios pepererint meretrices . Nihilominus , vix alium ab ipso puto sperandum effectum , nisi in hoc nostro casu , ubi etiam sola clysmata , brevi ante partum abhibita , aut loco ipsorum , suppositoria , admodum proficia observabuntur .

§. LI. Ubi hæmorrhoidibus tumentibus obsitus est sphincteris ani limbus , hincque impedimentum dependeat , discussientia & mitigantia

tigantia uti rad. scropholar. herb. boni henrici, fol. momord. flor. verbasc. sambuc., papaver. sem. & fol. Hyosciam., solani officinar. &c. item saturnina, camphora aliaque inservient. Laudat etiam Wedelius Mise. Acad. Nat. curios. Decad. I. An. II. Obs. 195. Fabaræ radicem appensam, & caryophyllum minimum Bachini, quorum effectum comprobabit experientia.

§. LII. Denique quando aquarum, vias istas verendas lubricantium defectus, vel intempestiva profusio, remoram injiciat transeunti foetui, inunctiones vaginæ uterinæ, cum oleo calido amygdal. d. lil. alb. aut malvæ Decoct. substituantur, ita, quod natura denegabat his partibus, ars eleganter supplebit.

§. LIII. Sic omnibus ac singulis recensitis causis, prudens prospiciet Medicus. Sed quod Gibbositatem, Phthisin, pleuritidem, Hydropem, obesitatem enormem, abscessus, scyrrhos partium Genitalium, calculumque insignem Vesicæ attinet, omisi ipsorum curationem consultò, cum firmiter mihi persuasum habeam, omnem Medicorum opem, prorsus esse inanem, nisi natura, contra omnium spem, insolite agat. Fato ergo, seu rectius loquendo, Deo committantur miseræ istæ, qui pressis succurrere, afflictisque suggerere opem, quam homines, nesciunt, novit. Nam,

Non est in Medico, semper relevetur ut ager,

Interdum docta, plus valet arte malum.

COROLLARIA QUÆDAM.

- I. In Gravidis venam secare, interdum convenit.
- II. Ossa pubis in partu diffici debiscunt.
- III. Virgo concipere potest, illæsa membrana hymene.
- IV. Vomitoria & stimulantia ad depositionem alvum, prænantibus propinare, licet.
- V. Illud, nunquam non quod mulieres in coitu excernant, non est verum semen.

F I N I S.

Δόξα Θεος τῷ παντοπεπτῷ.

Nobilissimo Pariter ac Eruditissimo
D O M I N O
JOHANNI HENRICO
S C L A F F I O,
MEDICINAE DOCTORANDO.
S. P. D.

JOHANNES ANDREAS
C R A M E R, Med. Doct.



Ongratulanter posces sub abitum
tuum ex Batavis Athenis laurea cinc-
gendus, Amice cordate? Pudore
suffundes. Id quippe amicitiae jura,
vel T E invito exigunt. Cui verò
congratuler, TIBINE an mihi? du-
bius haereo. TIBI quidem de ho-
nore, quem abunde promereris.
Mihi de felicitate, quæ jam circumfluit tot Votorum
pro salute T U A damnatum. Ast ad quid Curæ istæ?
Utrumque gaudium hocce tangit, sed in uno tamen,
dum dudum fueris alter ego. Φιλός μία φυχὴ, δύο σω-
ματινὲς ἔρωτες εἰσὶ, vel ipso Diogene teste Laertio. Nec
vero & hic gaudii terminus, lætas quoque Lucinæ sub-
ditæ manus & corda offerunt TIBI, Tutelari suo.
Quo grandius enim officium, eo major obligatio. At
vero hic pro uno, duos obligas matrem & foetum,
quid hinc si non duplex votum in hac lætitia rerum.
Mirari quapropter desine, si Patria non abjectos Gal-
los, sed rutilantes corvos oblatura sit Æsculapio suo,
memet ipse verò hac sistam Epigraphe:

D

Mi-

Miram epistrophen!
Nil ficti amplius per SOMNUM,
SOMNO naturæ penetralia ~~anodæmæ~~ Monstrante.

I M O
quod majus

SOMNO jam ipso vigilante
Vigilantibus obrepit SOMNUS.
Non Coma hic Vigil
Famosum Medicinæ portentum

I D E N I M

Actionibus his, quas SOMNUS exerit, haud quadrat.

S E D

Vigilem ac felicem virium Tutorem
Oculo miramur curioso
Pertundâ anxias urgente matres
Frustratis exitu foetibus.

S O M N U M V O L O

Q U I

Uti quietem alias, jam vividum plane motum
Non suadet, sed imperat
Utroque modo
Fatigatas demulcet mentes.

Non ergo est

Ut dubites,

Herculis Cothurnis ingressurem fore
M E D I C I N A M ,

S O M N O ipso,
Errorum alias, heic veri foecundo Patre
Eruditis & misericis ut Vacare queat
Dies noctesque vigiles agente.

Dabam à Musæo Budissæ
die 24. Martii Styl.-Nov.
A. Sal. 1692.

No.

N O B I L I S S I M O
D. J O H. H E N R.
S C H L A F F I O,

Summos in MEDICINA honores, ritè capessenti

S. P. D.

J O H A N N E S A N D R E A S
M U N N I C H , Philos. Doct.



Ria præprimis sunt, Amicorum Optime,
quibus Medicus, prout ejusmodi est,
cunctorum animos sibi conciliare potest,
adeo, ut nullius fere existimatione, ad-
miratione, benevolentia destituatur; do-
ctrinæ scilicet elegantiæ, judicii æneleia,
rerum denique variarum experientiæ. Quemadmodum
enim, mea quidem sententiæ, elegantium Medicorum
nomina non merentur illi, qui scientiæ Medicæ sat levi-
ter tincti, ad praxin statim properant, absque judicio
ac delectu, quodlibet, cuiilibet, quolibet in casu, appli-
cantes; ita vix laude digni videntur alii, qui solis præ-
ceptis, vanisque disputatiunculis, suavibus illis som-
niis, posthabito usu, semper inhærent. Ast Tu, Ami-
ce, longe supra horum sortem positus, aliâ eaque ce-
lebriore appares facie. Quippe si ullus unquam, ab
eruditionis Medicæ nitore, judicij acrimonij, multi
plicique rerum naturalium peritiæ, commendandus ve-
nit, Tu certe non postremo ponendus es loco; Ac pro-
fecto, sat amplius laudum tuarum, hac in parte pateret

cam-

campus, nisi, amicitiae potius, debitum persolvendi,
quam laudes tuas decantandi gratia, hæc scripsisse.
Sed quid? me commendatore plane non indiges,
qui ipsem Te, supra vulgum Medicinæ Culto-
rum, & scripto doctissimè elaborato, & curis, in ho-
minibus nostræ gentis, feliciter absolutis, posuisti.
Hinc mirandum non est, quod Nobilissimus Medicorum
Ordo, Doctoris honores TIBI conferre cupiat,
cum dignum Te illo judicet quisque, qui Te novit.
Cape modo hocce virtutis tuæ præmium ac documen-
tum, quod augurium est ampliorum, pro meritis,
honorum, quibus ornaberis in posterum. Habet exinde,
de quo sibi gratuletur patria florentissima, habet
familia nobilissima, habet amicorum chorus, habet
quisque morbo correptus; illa quidem, de cive virtute
insigni, ista, de filio famâ claro, hic, de membro
eredito, ultimus demum, de Medico prudentiâ celebri.
Imo, non sibi solum, sed & TIBI omnes memori-
rati gratulabuntur de honoribus adeptis; Quibus & ego
me jungo, animitusque precor, ut honores collati, ce-
dant in divini nominis gloriam, patriæ splendorem,
familiæ decus ac solatium, tuumque proprium emolu-
mentum. Tandem quoque Te, exteras regiones brevi
visitaturum, comitetur Deus suo præsidio, salvumque
ac sospitem ad Patrios tandem Lares reducat, quo spei
dudum de Te conceptæ, omnes jam dicti, pro vo-
to reddantur participes. Vale Dabam Trajecti ad
Rhenum A. O. R. M DC XCII. Die 28. April.